

Kern / 3494

(1-19)



(18)

DE  
HYDROPE PERICARDII  
DIGNOSCENDO.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
QUAM  
CONSENSU FACULTATIS MEDICAE  
HALENSIS

PRO  
GRADU DOCTORIS MEDICINAE  
LEGITIME OBTINENDO

DIE XI. MAII MDCCCXCVIII.

PUBLICICE DEFENDET

IOANN. AUGUST. LANDVOIGT,  
GRAUDENTIA - BORUSSUS,  
SOC. SYDENH. HAL. SOD.

---

HALAE  
TYPIS F. A. GRUNERTI PATR.



DE

HYDROPE PERICARDII

DIAGNOSCENDO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICAE

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE

HABENSIS

GRADI DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME OPTINENDO

AB H. C. M. A. I. C. I. S. C. I. S. C. I. S. C. I. S.

SCIENTIAE MEDICINAE

IOHANNES AUGUSTUS LANDVOIGT

DE PRAESIDIUM

PROFESSOR

HALLAE

MDCCCXXXIII





DE

## PERICARDII HYDROPE.

1.

**A**eterna sanctum est lege, ut corporis animalis cava iugiter rore quodam tenui, ex vasīs stillante, irrigentur, quo liberior motus fervetur, eaque partium lubricitas producat, sine qua functiones suas perficere nequeunt. Latex is, e sanguine ope vaporum fecernentium paratus, serum constituit, modo maiorem, modo minorem fibrosae partis portionem continens, adeoque albuminosi principii plus minusve particeps.

2.

Scatent eo latice cava labyrinthi auris, camera-  
rum oculi, pericardii peritonaei et pleurae, tunicae  
vaginalis testiculorum articularum, ipsiusque telae  
cellularis. Minima forsan eius copia ventriculos



cerebri occupat, licet summus vir, SÖMMERINGIUS, ingenii facultates rationem quamdam ad laticis huius copiam habere, statuerit.

## 5.

Qui quidem latex abundare nequit, dum aequa virium ratio servatur, quum excretus arteriis adducto recipiatur vasibus absorbentibus, quorum ora in cavitates corporis ubique hiant. Potest autem ea ratio facile turbari, dum vel absorbentium vasorum actio impeditur, vel nimis augetur functio arteriarum fecernentium, unde nimia oritur eius aquae colluvies. Hinc itaque, quinam sit hydropis verus fons, luculenter patere videtur.

## 4.

Quodsi ex cadaverum sectione nonnisi circumspectissime ad morbos praegressos argumentari licet, nullibi certe cautela ea magis necessaria esse videtur, quam cum colluviem aquosam post mortem in cavitatibus corporis observamus, siquidem ipse mortis articulus plurimum conferre videtur, ut sublato virium omnium aequilibrio congerantur humores in cava corporis. Ad haec etiam post mortem in laxato ac resoluto corpore stagnant plerumque humores et abundant eo magis, quo diutius iam cadaver iacuerit. Hinc mirum non est, LAWSONIUM in virgine, alio longe morbo extincta, hydropicas



colluvies plurimas invenisse,<sup>1)</sup> cum praesertim CAMPERI observatis constet, quò diutius cadaver aëri expositum fuerit, eo maiores observari solere colluvies aquosas.<sup>2)</sup>

## 5.

Ut autem de aqua, quae pericardium occupat, speciatim praecipiamus, videtur ea quidem in vivo homine plerumque vaporis forma tantummodo adesse, ut facile concedas ΚΑΑΥΩΙΟ<sup>3)</sup> ac SENACCO,<sup>4)</sup> qui, scelere ea pericardium vivorum animalium, dubitarunt. Quid quod alii, iique clarissimi auctores nullam eiusmodi aquam invenerint in recens occisis. Id tamen e contraria parte negari nequit, saepissime eam observari in cadaveribus diutius post mortem sectis, aut longa potius nece interentis. Suffocato enim sanguinis per pulmones circuitu, congestoque eodem in dextra cordis auricula, premuntur vasa vicina absorbentia a tumidis venis ac auricula ipsa hactenus, ut actio eorum plane impediatur. Eadem plane ratione oriri colluviem aquosam in cerebri ventriculis, quam hydrocephalum nominamus, credibile est.

1) Medic. Commentar. von Edinb. Dec. II. vol. 3. p. 27.

2) Von der Wasserfucht, in Samml. für praktische Aerzte.

B. XVI. S. 487 ff.

3) De perspir. Hippocr. n. 543 seq.

4) Traité de la struct. du coeur, vol. II. p. 349.



Sequitur inde, multoties pericardium aqua abundare post mortem, absque ulla praegressae hydrocardiae suspicione. Vel enim, dum animam homo agit, effluxit, vel post mortem tandem promanavit in cavum pericardii. Alias autem sequela ipsius fuit morbi praegressi, nec signa ulla adfuerunt, quibus colluvie hac laborare aegrotus credi potuerit. Quod ut, quam late pateat, eluceat, pauca tantummodo ex MORGAGNII opere immortalis adducam exempla, quae, plerumque praegressos fuisse pectoris morbos, vel inflammationem validam, vel phthisin vel asthma, docent, e quibus simul patet, vitia alia organica, ut concreciones, polypos cordis, valvularum ossream indolem comitari solere eiusmodi colluviem.

Mulier, quae catarrho laboraverat, febre corripiebatur, cum spirandi difficultate insigni, permolesto in thorace ponderis sensu, pulsibusque duriusculis. Expectorare, id quod unice optabat, nihil prorsus potuit. Humiles deinde et intermittentes accedebant pulsus, spiritus autem tam anxii, ut novissime iacere nequiret. Tandem quinto, ex quo febricitare coeperat, die e vita cessit. Aperto cadavere, pulmones apparuerunt turgidi, ad pleuram fere ubique arcte adhaerentes: e sinistro thoracis ca-



vo serum, quod a pure admisto albicare libentius dixisses, ea copia profuxit, quam septi transversii pars sinistra, non fornicata, sed potius depressa, antea significaverat. Pericardium erat amplum et fero eiusmodi plenum, quale in thoracis sinistra cavea fuit, ut protinus non pericardium, sed apertum magnum quemdam abcessum videre crederes. Eo fero exhausto, superficies omnis pericardii interior, exterior autem cordis et auricularum et majorum vasorum lurida apparuit, obducente omnia materia quadam ex albo cinerea, nihil magis quam calcem referente.<sup>5)</sup> Ex hac autem historia apparet, hydropicam hanc colluviem inflammationis praegressae comitem fuisse.

## 7.

Ex alia, quam refert idem auctor, historia elucet, cordis amplitudinem nimiam accusandam esse interdum, ubi colluvies aquosa caveas corporis occupat, et ex hoc praepremis fonte hydrocardiam esse explicandam, cuius ne ullam quidem adfuit signum, dum viveret aeger.<sup>6)</sup>

Convulsionem quoque pedissequam saepius habere talem feri congestionem, discimus ex historia ab eodem auctore narrata, de viro nimirum, quem te-

5) MORGAGN. de sedib. et caus. morb. ep. XLV. 16.

6) Ep. XXXVIII. 10.



tanus extinxerat, cuiusque pericardium post mortem fero omnino plenum inventum est.<sup>7)</sup>

Frequentissime vero fere phthisis antea aderat aut ulcus pulmonum aut tuberculis eorundem laboraverat aeger, quibus quidem vitiis et circulus sanguinis turbaretur et resorptio impediretur. Ea exempla tum in BONETO extant, tum in MORGAGNIO.\*)

## 8.

Quod ipsum vero morbum, de quo hic praecipimus, attinet, vere eum existere negandum non est, signa itaque eius adesse, peculiarique ac plane suo modo valetudinem turbare certum est. A pristinis enim inde temporibus observata est in variis aegris malorum caterva, quae hanc aquae colluviem designare credita est. Ita GALENUS iam palpitationes cordis frequentes autumat constanter hunc morbum comitari, quod tamen sectionibus hominum ipsorum confirmare non potuit. In simiis folis hydatides quondam cordi adnatas videre meminit, unde simile quid in hominibus occurrere, probabile habuit.<sup>8)</sup>

Id tamen notatu dignum est, morbum eum tam raro observari, ut nonnisi paucis contingere possit

7) Ep. X. XI.

\*) Cf. SANTESSON in Samml. für prakt. Aerzte, B. XIII. S. 460.

8) De loc. affect. lib. V. p. 296.



fors, ut illustrent eum suisque observationibus facilius dignoscendum reddant. Cum deinde sectio semper requiratur, eaque circumspectissime instituta, ne ea colluvies aquosa, quae morbum alienum sequitur, cum vera morbosa confundatur, elucet inde, quanta cautela oporteat nos uti observationibus circa eandem valetudinem institutis.

## 9.

Experiamur tamen, possitne aliquid certi ex historiis fide dignissimis erui, morbique praesentia dignosci, deinde vero, comparato morbo cum adfinibus, discrimen illustremus.

MORGAGNIUS, quem tutissime sequi possumus, spirandi difficultatem eam invenit in hoc morbo, ut erecta iugiter cervice aeger spiritus trahere posset, cum tussis, siti atque febricula. Ea dyspnoea tamen magis anxiosa ipsi dicitur, quam sonora; qualis in hydrothorace observatur. Deinde adesse perhibet dolorem aut ponderis sensum cor comprimentis, quasi lapis insignis visceri huic incumbentis. Is sensus per se quidem nihil decernere potest, quum et concretiones et ulcera mediastini pericardiique stiperetur, iunctus tamen cum aliis hydropis huius signis satis manifesto hunc morbum denotat. Nunquam is dolor inferiora petit, ut ipsius hepatitidis speciem prae se ferat. Praeterea animadvertit MORGAGNIUS leviuscula accedere pedum oede-



mata, rarius ea quidem, quam in thoracis hydrope. Palpitationes cordis ita violentas, ut a plerisque auctoribus referantur, haudquaquam constanter huic morbo immorari. Quid quod saepius omnino deficiant, cum cordis compages circumfluente aqua magis relaxari ac flaccida fieri debeat, ut itaque validi eius motus praepediantur. Inde etiam pulsum mollitiem exponi posse existimat. 9)

Qui uberius ac disertis verbis hanc aegritudinem tractavit, SENACUS protinus magis ex cordis ac pericardii structura exponit necessaria quaedam symptomata, post vero ad ipsam refugit experientiam. Praeter oppressionis sensum in anteriore pectoris parte, palpitationes etiam et animi deliquia sequi hunc morbum arbitratur, cum aqua impediatur cor, quominus sese regulari contrahere modo ac dilatare possit. Spiritus trahere aegri fere nequeunt, cum pulmones pericardio aqua turgido comprimuntur, maxime dum in dorsum cubant aegri. Facilius vero spirant, in dextrum latus paulum inclinantes. Tussis aridam, spasticam, qualis in adfectibus hysteriacis vulgaris est, exponit ex pressione, quam pulmones patiuntur. Pulsum praedurum et frequentem esse debere concludit ex obstaculis, quae sanguinis circulo opponuntur.

9) MORGAGNI, ep. XVI. 36 seq.



Deinde vero aliorum auctorum suasque observationes cum his ratiociniis componit, e quibus omnino elucet, haudquaquam ubique experientia id confirmari, quod ratio docere videatur: siquidem nonnunquam supinis decumbere omnino contingat aegris, pulsus miram patiatu varietatem, extremaque membra modo tumida reperiantur, modo naturalia. Nihilominus plerique a SENACO citati casus in eo conveniunt, ut pulsus esse praeduros, aegrum spiritus trahere aegerrime, animam saepius deficere, palpitationibus cordis laborare et sensu fluctuantis aquae circa praecordia, pateat. Quae quidem fluctuatio vel ab ipso aegro sentitur, vel a medico, manus auresve cordis regioni imponente. Id signum ab Hercule SAXONIA primo animadvertum, confirmatur a SENACO, cum tamen negari nequeat, saepiuscule id omnino deesse.<sup>10)</sup>

## 11.

Aliam historiam meritissimus STOLLIIUS in MOHRENHEIMII collectione refert, quae coniunctam tradit hydrocardiam cum inflammatione meningum et intestinorum. Inde etiam ex coniunctis symptomatibus pauca fere sunt, quae velut signa eius morbi considerari possunt. Oppressio sola pectoris, spirandique difficultas maxima cum in

10) Traité des malad. du coeur, vol. II. p. 360.





dorsum cubaret, multo minor, cum sinistro lateri incumbere, conferre aliquid potuerunt ad id iudicium de morbo formandum.<sup>11)</sup>

ROLLINUS hydrocardiam insignem cum enormitate cordis invenit in homine haemorrhoidibus diutius vexato, qui denique ex frigore admissio in catarrhalem morbum inciderat, ad quem novissime febricula cum cachectico habitu, delirio miti, pulsu spastico et oppensione pectoris summa accesserunt: mirum tamen, hunc aegrum sinistro nunquam lateri incumbere potuisse.<sup>12)</sup>

Memoratu dignissimus est casus, quem SIDRENIUS refert. Ancilla ex febre ardente cum delirio ac hallucinationibus iuncta in pectoris morbum incidit cum anxietate, oppressionis sensu, tussi sicca et raucitate. Nunquam fere in dorsum cubare, non nisi aegerrime loqui aegra potuit: tussis praesertim noctu validissima et arida: pulsus tensus, inaequalis et celer: facies pallida, nec tamen tumida, neque tumores manuum aut pedum apparuerunt. Tunc vires sensim magis magisque deficere, pulsus imbecillus magis ac frequentior, spiritus difficiliore esse coeperunt. Neque tamen eo minus utrique po-

11) MOHRENHEIM's Wienerische Beitr. Th. II. S. 235 f.

12) Journal de médéc. vol. XXXII. p. 44.



tuit lateri, ut et dorso incumbere: hic vero situs ceteris molestior fuit. Denique intermoritur. Secto cadavere pericardium mire distentum pulmones penitus obtexit, continuit autem sesquipondo aquae: neque praeterea quidpiam morbosum in cadavere repertum est.<sup>13)</sup>

Ad nuperrimas huius morbi observationes pertinet quoque ea, quam WESTRINGIUS publicavit. Asthmaticus enim, qui spiritibus diu abusus erat, macie tandem confectus, ea spirandi difficultate corripitur, ut verba continuo pronunciare nequiverit. Aegerrime et dorso et lateribus incumbere, non nisi erecta cervice ac prono corpore spiritus trahere potuit. Tussi vexabatur arida, fere suffocante, qua plurima tamen sputa reiciebantur, in vomitum plerumque terminata. Praeter faciem oculosque parumper turgidos, nullus apparuit tumor externus. Ponderis sternum comprimentis sensum querebatur, ut et dolorem cervicis gravantem. Pulsus plenus, durus, validus, velut in febre. Languor totum occupabat corpus, frigorisque sensus extrema. Matutino vespertinoque tempore animam defecit, ructibus frequentioribus post partum laboravit. Tandem intumuerunt pedes cum

13) Act. med. Suecic. tom. I. p. 470.



laeva manu, aegerque desipere coepit. Aliquot ante mortem dies melius dorso incumbere potuit, sanguis e naribus profunde batur, pulsus tamen regularis fiebat et validus. Tandem enecati pertinacia morbi cadaver post mortem apertum ostendit pericardium aquae insigni copia refertum cum cordis enormitate, tunicisque ipsius velamenti incrassatis.

Signa diagnostica huius adfectus ex ea historia colligit esse sequentia: 1. sensum ponderis in cordis regione, 2. dyspnoeam, 3. tussim aridam, 4. obstaculi sensus, motum cordis impediens, maiorem molestiam, dum lateribus quam dum dorso incumbit, 6. pulsum durum, 7. languorem cum defectio- nibus. <sup>14)</sup>

## 14.

Ponderis cor comprimentis ac suffocationem imitantis sensus, velut insigne criterium huius morbi, citat etiam MAZZIUS, egregiam de eo observationem referens. Ea oppressio, cum cubitum iret aegra, adeo invaluit, ut suffocatio proxima videretur: pulsus erant exiles, frequentes, molliusculi, nulli vel pedum vel manuum tumores, sed cachecticus faciei habitus. Deinde dorsum utriusque pedis laevaeque manus parumper intumuit, aegraque suffocatione enecabatur. Post mortem secto cadave-

<sup>14)</sup> Samml. für prakt. Aerzte, B. XIV. S. 580.





re plus quam tres aquae librae in pericardio inventae sunt, neque quidquam praeterea, quod a fanitate recederet. 15)

15.

Quanquam recentissima haec morbi huius exempla manifesto docere videantur, symptomata eum comitantia nequaquam constantia esse, ut et summo viro, CAMPERO, facile dare possis, dignosci eum adfectum et certis signis diiudicari non posse; comparanda tamen sunt signa, ut, possint ex iis unquam ad morbi praesentiam concludi, pateat.

Exploratum primum habeo, hydropem eum, cum cysticus fit, multo minus multoque difficilius cognosci posse, quam si liberior fuerit: siquidem raro participare solent cystici hydropes alias partes iis symptomatibus, quibus dignosci possint. Ita hydrops sacculus abdominis multo minus sub sensu cadit, quam ascites liber.

16.

Primarium equidem arbitror signum esse difficultatem spirandi summam, qua hactenus vexatur aeger, ut saepius suffocationem pati metuat. Haec vero dyspnoea anxiosa magis est, iique similis quam in tussis convulsivae insultibus animadvertimus. Augetur ea maxime, dum dextro lateri incumbit aeger,

15) Samml. für prakt. Aerzte, B. XV. S. 76.



minuitur, cum in sinistrum latus cubat; cum dexter pulmo compressus a tumido pericardio insignem gignat anxietatem atque oppressionem. Nonnunquam facilius dorso, quam lateribus, interdum vero haudquaquam dorso incumbere possunt aegri. Animadversum est plerumque, erecta cervice parumper facilius spiritus trahi: crescente vero morbo et ad finem properante nonnunquam in dorsum cubare melius possunt. Sequitur inde, loquelam quoque interrumpi ac impediri ea anxietate et dyspnoea.

## 17.

Alterum signum huic saepius adiunctum versatur in molestissimo ponderis sensu cordi incumbentis, quo adeo inhibetur motus cordis, ut palpitet violenter et anxietatem augeat. Is sensus gravitatis dolorisque ex pondere orti et ibi observatur, ubi reliqua signa vacant. Locus eius sensus finitur cordis ipsa regione, sub sterno, parumper versus sinistrum latus. Palpitationes eae, quanquam a variis auctoribus observatae non sint, plerumque tamen adesse solent. Quodsi deficiunt, adeo iam infirmata esse videtur cordis compages, ut violentos eos motus amplius pati nequeat.

## 18.

Praeterea solet sensus quidam interdum adesse, quasi aqua cor circumflueret, aut nataret in undis cordis



cordis velamentum. Negatur quidem id signum a REIMANNO, <sup>16)</sup> quod acuto eo sensu aegri plerumque non vigeant, ut id percipere possint: confirmatur tamen variis recentiorum testimoniis. Fluctuatio ea, ab aegro sensa, raro quidem a medico posse percipi, fertur: id quod WERNERI praesertim animadversione patet, qui tumorem cardiacae fluctuantem simul cum ceteris signis iunctum in hoc morbo vidit. <sup>17)</sup>

## 19.

Tussis quoque adest, plerumque arida et convulsiva, qualis in hysteriis adfectibus animadvertitur, qua vel eiicitur, sine levamine, sputorum mucosorum copia vel etiam nihil excernitur. Ea tussis nonnunquam spasmos adfert validissimos, quibus aeger mire vexatur, ut et desipere facile incipiat. Ipsa loquela hac tussi impeditur, atque vox redditur rauca, debilis et impedita. Saepius adiunguntur spasmi oesophagum constringentes, ut deglutire aegerrime possint. Hypochondria simul tensa sunt et palpitationibus assiduis vexantur, plurimum etiam dolere solent. Ad haec accedunt vigiliae continuae, quae tum angoribus, tum dyspnoea continua augentur.

16) Act. nat. cur. vol. I. obs. 170.

17) WEIZ neue Auszüge aus med. Disp. B. VIII. p. 99.



20.

Quod ad extremorum tumores spectat, quae liberos quidem hydropes ubique stipari consuecunt, ad hunc faccatum raro tantummodo accedunt. Neque tamen desunt inflationes alterutrius manus, palpebrarum, partiumque faciei profundiorum. Leves eae quidem esse solent, id autem singulare habent, ut livorem quemdam circa oculos labiaque producant, qui pro pathognomonico signo a quibusdam habetur. Quod tamen immerito fit, quum idem livor ad pectoris hydropem plerumque accedere soleat.

21.

Diurnus esse morbus non videtur, sed brevi tempore enecare. Novissime enim sanguis plerumque e pulmonibus aut e narium vasis profunditur, tandemque apoplexia confici aegri solent. Sequitur mors nonnunquam aliquot diebus, postquam primus morbi insultus apparuerit, dum febris accedit, quae validissima esse solet et ardentissima, deliriaeque producit ferocissima. Quodsi vero praecesserint morbi alii diurni, maxime pectoris, non desunt quoque casus, ubi lenta morte aegri confumerentur. Animam tunc indies frequentius deficiunt, palpitationibus saepius vexantur, donec tandem suspendantur actiones omnes, ipsaque mors miserae vitae terminum imponat.



Iam vero ad diagnofin ipsam transgrediamur, qua hunc morbum ab aliis et adfinibus quidem discernere licet. Atque fatis vulgaris eft animadverfio, adfectus, quibus cor ipfum patitur, fimillimos fibi plerumque effe, ut lynceis prope oculis opus fit, quibus discerni poffint. Obftacula enim, quae fanguinis circulo opponuntur, adeo vulgaria funt, adeoque fimilibus exprimuntur fignis, ut curatiflima tandem obfervatio, ac folertiflima cafuum omnium comparatio vix fufficere videantur ad eorum expofitionem. Quae utut funt, periculum facere licet, ut lucis quidpiam his tenebris foeneremus.

Cum ferofae intra thoracem colluviei varia adfint figna, ab hydrothorace protinus discernenda eft hydrocardia. Quod ut fiat, fequentia notentur:

a. *Hydrothorax*; ubi aqua vel intra pulmonum texturam effufa eft, vel facco cuidam peculiari inclufa, vel in pleurae duplicaturis ftagnat, morbum fiftit multo magis diuturnum, qui variis circuitibus per annos integros, quin faepius per maiorem vitae partem, protrahitur. *Hydrocardia* vero, quae viget atque ad gradum quemdam altiorem femel evecta eft, multo celerius decurrit, neque tamdiu aegrum trahere poteft, quum multo nobiliora laborent or-



gana, ipseque vitae fons adficiatur, unde et perti-  
naciora oriuntur mala.

b. *Hydrothorace* adfecti tumoribus simul laborant  
brachiorum et feroti nympharumve serosis, qui raro  
tandem, ac in ultimo fere morbi stadio ad hydro-  
cardiam accedere solent. Maxime vero vulgare fi-  
gnum serosae intra pectoris cavum colluviei sistit  
hydrops feroti, statim ab initio plerumque ad illam  
accedens, qui vero in hydrocardia omnino deest.

c. *Hydrothoracem* comitantur quidem angores  
spiritusque difficiles, qui vero vesperi praesertim  
augentur, dum somno primo aeger opprimitur.  
Hunc vero circuitum angores in hydrocardia obvii  
haudquaquam servant. Ad haec etiam sonora est  
dyspnoea et sibilans, quae hydrothoracem notat, an-  
xia magis et suffocans, quae hydrocardiam signat.

d. In *hydrothorace* nullum queritur aeger dolo-  
rem fixum thoracis, nisi adiunctum fuerit forte ul-  
cus aliquod: vexatur tantummodo doloribus rheu-  
maticis, brachia, scapulas et musculos pectorales  
infestantibus, qui, sicut fixi non sunt, ita variis  
circuitibus recurrunt. Qui vero colluvie serosa in-  
tra pericardium laborant, dolorem aut ponderis  
potius molestissimum sensum cor comprimentis que-  
runtur, qui hactenus constans format signum, ut,  
cum et alia deficiunt, hoc tamen plerumque adstet.



e. Hydrothorax producit quidem gravia saepe symptomata, neque tamen tam atrocia, quam hydrocardia. Ille tandem paucis ante mortem diebus inflammationem solet pulmonum adferre, haec vero per totum fere morbi cursum animae defectionibus, palpitatione pervicaci, spasmsisque convulsivis iuncta est.

f. Qui hydrothorace laborant, alterutri lateri incumbere nequeunt, pro vario sacci hydropici situ. Hydrocardia vero semper molestias creat plurimas, cum in dextrum latus decumbit aeger.

g. Eximium discrimen petendum esset a sensu aegri, quasi aqua cor circumflueret, si modo id signum constans esset, quum eo penitus vacat hydrothorax. Quoniam vero multi exstant casus hydrocardiae, ubi id signum deest, fallax etiam putandum est.

## 24.

Ad alium accedo morbum, cordis ipsius vitium, quod germanum maxime nostro malo, distingui tamen ab eo potest. *Polypum* volo cordis *verum*, neque sola concrementa fibrosa, quae post mortem in variis cadaveribus inveniuntur, neque ad praegressum statum morbosum pertinent.

Verus autem polypus, cuius praesentiam negare temerarium esset,<sup>18)</sup> protinus ab initio palpitationes

18) SPRENGELS Pathologie, T. I. §. 297. WACHMANN'S Ideen zur Diagnostik, Th. II. S. 173.



producit indies magis auctas, maxime ex motu aut situ in siniftrum latus, cum hydrocardia adfecti plurimum adleventur eo situ. Ea palpitatio deinde adeo increfcit, ut animam aegri deficient, pulsusque irregularis fiat et intermittens. Angores cum his adfectibus circuitibus recurrunt, periculumque eiusmodi producunt, ut morti proximus aeger esse videatur, vena vero fecta insigniter adlevatur. Quod si cum hydrocardia componas, ibi angores circuitibus haudquaquam terminantur, neque adeo diuturni sunt, tulli quoque arida et convulsiva ftipantur, quae deficit in polypis.

Accedit his signis rubor faciei et inflatio sanguinea in polypis, livor vero et serofa inflatio in hydrocardia. Potest tamen etiam livor accedere ad polypos cordis, cum, qui iis laborant, aliis diuturnis morbis iam vexati sunt.

In polypis cordis sensus singularis adest, quasi aer calidus cor adflaret, in hydrocardia vero cum oppreffione pectoris interdum aegro videtur cor aqua circumflui.

Levantur insultus polypi venae fectionibus, hydrocardia vero nequaquam, magis vero aggravatur. Eiusmodi experimenta dilucidant quidem morbi indolem, postponenda tamen ubique observationibus ipsis.



25. Tertius morbus, cui similis est hydrocardia, enormitas est cordis, seu *aneurysma* eiusdem, a quo eo maiores oriuntur difficultates, quo frequentius utrumque malum coniunctum esse solet, quod cada- vera hydrocardia interemtorum manifesto docent. Sequentia autem notanda sunt discrimina:

a. Et protinus quidem ad causas respiciendum est remotas. Enormitas cordis, seu nimia ventriculo- rum, auricularum ac magnorum vasorum dilatatio sequitur plerumque nimias intentiones, vim extus illatam, frigus externum et balnea frigida subito ad- mota; quanquam etiam sensim possit cachectico sta- tu produci. Hydrocardia vero vel alios supponit hydropes, vel sequitur etiam inflammationes, ne- que subito solet oriri.

b. Palpitatio cordis utrique malo familiaris, pul- sationem vasorum capitis producit in enormitate cordis adeo violentam, ut in ipsis insultibus morbi nihil plane aeger audire possit.

c. Pulsus tum cordis, tum arteriarum peculiarem habet inaequalitatem in aneurysmatibus; vibratio- nes enim et miras oscillationes sentimus post suspen- sam fere cordis actionem. Eos vero tremores haud- quaquam observamus in hydrocardia, neque pulsus eam patitur inaequalitatem, sed plerumque durus tantummodo et frequentissimus.



d. Aegri malunt supini aut dextrorsum decumbere in enormitate cordis; qui hydrocardia vero laborant, nonnisi erecta spirare possunt cervice: si vero decumbunt, sinistro solummodo lateri incumbere possunt.

e. Nonnunquam, imo saepius, vena iugularis externa peculiari modo palpitat pulsatque, cum nimis dilatatum est cor, quod, cum deficiat in hydrocardia, egregiam sistit diagnosin.

Ceteroquin eadem animae defectiones, iidem angores, quin ipsa oedemata manuum pedumque commitantur enormitatem cordis, quae in hydrocardia occurrunt.

## 26.

Quartus morbus, qui cum hydrocardia confundi potest, est *angina pectoris*, seu *asthmatis* singularis species, quae plerumque arthriticos homines infestat, ac diuturnam cordis, eiusque velamenti inflammationem, concretionem et exulcerationem supponere videtur. Interfunt autem inter hunc adfectum et colluviem pericardii aquosam sequentia:

a. Angina pectoris spiritus intercipit suspenditque actiones fere omnes vitales, absque ullo cordis violento motu, ullave eius palpitatione. Qui motus rarissime saltem ad eum morbum accedunt. Palpitatione vero consistans efficit symptomata hydrocardiae.



b. Circuitus format angina pectoris, impetusque eius aegrum corripunt, quum ambulat. Iis circuitibus autem vacat hydrocardia, neque liberatur molestias aeger hactenus, ut ambulare possit, suisque muneribus fungi.

c. Pronus corporis positus iis magis nocet, qui angina pectoris laborant, levat autem molestias eorum, qui hydrocardiam patiuntur. Qui angina pectoris patiuntur, et supini et in utrumque possunt latus decumbere.

d. Dolor fixus adest in angina pectoris, sub sterno maxime residens, indeque ad brachia productus, quo distinguitur is morbus a germanis, siquidem in hydrocardia oppressio potius et pondus quoddam cordi incumbens sentitur quam dolor.

e. Pulsus rarissime mutatur in angina pectoris: extra impetum saltem saepius naturalem servat indolem, nonnunquam etiam in ipsis insultibus sibi confat. In hydrocardia vero frequentior est et durior naturali.

f. Qui angina pectoris laborant, ut plurimum ante fuerunt arthritidi obnoxii aut infarctibus saltem abdominalibus, diutius etiam vexari hoc malo solent. Hydrocardia vero arthritidem nequaquam sequitur, multoque citius aegrum conficit.



27.  
 Superfedeo expositioni signorum, quae hydro-  
 cardiam ab inflammatione cordis acuta determinant,  
 quum is morbus febre ardentissima stipetur, neque  
 facile confundi cum hydropico pericardii tumore  
 possit. Accedo autem ad ea, quae cadaverum sectio  
 nos docuit.

Insignis aquae copia, quae pericardium replet,  
 haudquaquam tamen valde distendere illud solet,  
 quum alioquin sanguis in cor refluxere plane non  
 posset. Hinc et post mortem, licet plures librae in  
 pericardio adessent, parum tamen distentum repe-  
 riatur pericardium.

Aqua ipsa solet esse flavida, vel viridiuscula, vel  
 subrubra, prout magis minusve depravata est stagna-  
 tione. Saepius quoque floccis aut purulento muco  
 mixta apparet, nonnunquam adeo acris evasit, ut  
 texturam cordis ipsam devastaverit. Inde mihi qui-  
 dem explicandae videntur inflammationes cordis,  
 quae, novissime accedere ad hydrocardiam con-  
 fuerunt.

28.  
 Nonnunquam pericardium simul nimis incrassa-  
 tum ac laminis pluribus densis stipatum apparuit.  
 Id vitium quidem ex aquae stagnantis inspissatione  
 explicandum est, quod in variis aliis hydropibus pari



modo contingere solet. Idem quoque fons concre-  
tionum velamenti cordis et pleurae aut pulmonum  
esse videtur, quippe quae frequenter cum hac serosa  
colluvie iunctae sunt.

29.

Inveniuntur non raro polypi in auriculis et ma-  
ioribus vasorum truncis, qui ex impedito sanguinis  
circuitu, indeque producta separatione partium pro-  
pius sanguinem constituentium exponendi sunt.<sup>19)</sup>  
Ad haec etiam ossificatae valvulae cordis simul cum  
hydrocardia adesse solent, quod vitium vero potius  
caussa serosae colluviei quam effectus habendum  
est,<sup>20)</sup> quum induratae aut ossificatae vasorum tuni-  
cae impediunt motum, prohibeant itaque bonam  
mixturem sanguinis, unde serosa oritur colluvies.

50.

Tandem in causas inquiremus remotas, quae  
gignendae huic hydropis speciei pares sunt. his enim  
probe cognitis et diagnosis melius formari et ipsae  
curationis indicationes multo melius effici possunt.  
Etenim, cum quae proxime morbo praecedit caus-  
fa, lateat nos plerumque, id potissimum agendum  
est, ut exploratis remotis causis aut earum effecti-  
bus sub sensus cadentibus indicationes conformes  
evadant.

19) SPRENGEL'S Pathologie, Th. I. §. 292.

20) Id. Th. III. §. 696.



Et primum quidem SENACUS testatur, post lapsum sequutum esse hanc valetudinem, quod ex ruptis vasis absorbentibus, effusa itaque feri et lymphae copia non aegre exponitur.<sup>21)</sup> Quamquam enim vulgaris hydropis causa haudquaquam in laesione et ruptura vasorum absorbentium quaerenda sit, neganda tamen omnino non est, quum experientia confirmetur.

Deinde observatum est, causas eas, quibus sanguinis motus regularis inhibetur, atque in atrii cordis idem congeritur, saepius praecessisse hydropem pericardii. Quodsi enim acervato sanguine venae dilatantur, comprimunt eadem vasa absorbentia, quae continuo vasa sanguifera comitantur, eoque modo impediunt absorptionem. Hinc etiam polypsi toties iuncti sunt cum hydrocardia, quippe qui retardato sanguinis motui omnino sint tribuendi. Hinc in agone mortis tandem oboritur colluvies aquosa in cordis velamento, quum stasis acervati sanguinis inertiam vasorum absorbentium producat.

## 31.

Ratio insuper habenda est morborum pectoris, qui praegressi sunt: siquidem spiritus ex his difficiles motum sanguinis retardant, eumque circa cor acervant. His vero tumoribus sanguineis compri-

21) L. c. vol. II. p. 358.



muntur vasa cordis absorbentia, stasesque feri et lymphae producitur. Inde phthisis pulmonalis, asthmata alique pectoris morbi hydrocardiam gignunt.

32.

Tandem inflammatio cordis partiumque vicinarum accusanda venit. Hac enim intenditur actio vasorum ita, ut feri etiam secessio a cruore promoveatur; laxantur deinde vasa nimis intenta, ut humores aquei facilius e vasis laxatis secedant, atque vel superficiem obducant, vel etiam colluviem producant serosam.

Denique nil mirari opus est, si alia oedemata aut alii hydropes in cor abscedentes hanc colluviem aquosam producant, quod KINGLAKII observatione constat.<sup>22)</sup>

22) Sammlung für prakt. Aerzte, B. XIII. S. 386.




T H E S E S .

1. Non datur definitio febris in omnes species quadrans.
  2. Inflammatio est morbus arteriarum, et membranas atque viscera improprie inflammata appellamus.
  3. Mixtionis mutatio, quam in permultis praecipue ossium morbis observamus, non est effectus, sed caussa morbi proxima.
  4. Irritabilitas musculorum non a nervis pendet.
  5. Caussa morbi proxima semper in organo adfecto quaerenda.
- 














1078

PICA









(18)

DE

# HYDROPE PERICARDII DIGNOSCENDO.

DIS

GR

IO

